

Soteria

quæ

In recuperatam valetudinem

V I R I

GENEROSI ac MAGNIFICI

DN. DANIELIS

WACHSCHLAGERI,

Burggravii Regii, Præconsulis,

& Protoscholarchæ omnibus nume-
ris absolutissimi

Ao. M. DC. LXXXVIII.

Calendis Augusti

lætabundi

decantare voluerunt

Rector, & Professores Gymna-
sii THORUNIENSIS.

THORUNII *imprimebat* Christianus Bekk, *Gymm. Typogr.*

C578

Et hanc sarcophago dæm voluere VIRUM:
Quem tot mortuorum dæm superare cõpõter,
Facibus è mortis jam redimere abest:
Mortuus nosse Venaribus atq; Scholarchis
Lux fulget, dæm nos gratior alla dæm.
Lux læta micat, miris fœnuda sapille.

Non procul à letho fueras, PATER, heu tua nobis
 Penè simul tecum solatia rapta, SCHOLARCHA!
 Ast Opifex rerum summus, qui limina cœli
 Incolit, & duros morbos mortemq; furentem
 Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat,
 Istud discrimen lethi, noctemq; supremam
 Esse procul jussit, præbens medicamen ab alto
 Æthere. Jam fractæ redeunt in pristina vires,
 Pallor abit, fessi revalescunt corporis artus.
 Munere pro tali sit laus & gratia soli
 Cœlesti MEDICO, qui Te, VIR MAGNE, deinceps
 Incolumem servet NOBIS, URBIq; Scholæq;!

Ita,
MAGNIFICE WACHSCHLAGERE,

Patrone ac Compater Venerande,

Tibi,

afflictis Patriæ rebus,

In Malorum remedium

Eidem

(quod de Trajano referunt Historici)

divinitus reddito,

&

Opportunè servato

lætus gratulor;

atqve

ut TIBI, & per TE

utriqve REIPUBLICÆ,

CIVILIAE LITERARIÆ,

Prospera omnia,

id est,

digna Seculo tuo

(quæ Plinii Vox vorumq; fuit)

contingant,

pius precor

PAULUS HOFMANNUS D.

Non lux læta micat, niveo signanda lapillo,
 Lux fulget, quâ vix gratior ulla datur.
 Mæcenas noster Venerabilis atq; Scholarcha
 Faucibus è mortis jam rediurus adest:
 Quem tot morborum dira superare cohortes,
 Et dare sarcophago quem voluere VIRUM:

Hic

Hic spirat, vivit, melius valet, atq̄ recentes
 Acquirat vires, auxiliante D E O.
 Diffugiunt hostes, febres sæviq̄ dolores
 Coguntur turpi jam dare terga fugæ.
 Hos fugat Omnipotens Medicus, Servator JESUS,
 Restituens membris robora firma macris.
 Pandite nunc Heliconæ Deæ, cantusq̄ movete,
 Dulcisonam lætus pulset Apollo lyram.
 Fundite læta D E O festivo carmina plausu
 Cognati, Civēs, Curia, Tempa, Scholæ.
 Festa renascentis celebrantibus alma Scholarchæ,
 Lætitiæ nullus debet abesse modus.
 Vive, vige, flore longos feliciter annos,
 Urbis Honos patriæ, Gymnastiūq̄ Decus.
 Major sis, quàm cui possint mala fata nocere,
 Quàm cui Tisiphone dira nocere queat.
 De nostris annis TIBI Christus adaugeat annos,
 Inclyte WACHSCHLAGER, ter venerande Senex.

Gratulabundus scrib.

Wenceslaus Johannides,
 Gymn. Thor. P. P.

Magne Vir, ac urbis pars summa & gloria nostræ,
 auxiliumq̄; bonis, subsidiumq̄; probis.
 Lætor, quod tristes elegos & carmina mœsta
 non scribam: non est luctibus ulla mora,
 In plausus mea mens abit, & de pectore læto
 lætitiā promit, lætitiāq̄; canit.
 Ante quidem spatium breve temporis usq̄; sedebam
 tristis, & in mœsto corpore mœror erat.
 Protinus ora color lacrimis suffusa reliquit,
 et teter tenuit languida membra dolor.
 Cordatus quivis plorabat fata superba,
 ac ægrum doluit Palladis aula Ducem.
 Sidere sub nostro vel mille pericula stabant,
 emeritum flevit Patria tota virum.
 Inter & ærumnas & sævos viximus enses,
 tristitiā quivis angulus usq̄; tulit.
 Dum Te, Vir, nostri decus & tutela Lycei,
 vexaret morbus corripereq̄; gravis.
 Dum Te vicinum morti spectavimus omnes,
 diximus & Parcis talia verba malis,
 Quid facitis Parca? diris cur astibus usum
 torquetis? corpus cur mala febris habet?
 Heu finite! heu finite & morsus compefcite vestros,
 nec nimius rotat languida membra calor.

Tu

Tu DEUS affer opem, morbum dispelle furentem,
 floreat ut magni vita salusq; Viri.
 Confestim factum est, mortis cessere tenebræ,
 cessit in Arctoum febris iniqua locum.
 Hinc mentem sumo lætam, lætusq; tropæa
 erigo, quin totus carmina læta cano.
 Aula trahit lætos animos, Regisq; ministri
 gaudent, & toto pectore læta gerunt.
 Ordo sacer nostri coetus in gaudia tendit,
 ac offert humili verba ligata manu.
 Quod Te, Magne Vir, ac urbis pars optima nostræ
 ereptum mortis faucibus esse sciant.
 Ipse DEI laudes decantas gutture pleno.
 ac hodie resonas cantica grata DEO.
 Gratulor ex animo de firmis viribus optans,
 ut redeat membris pristina vita tuis.
 Pectora non vexent mordaces anxia curæ,
 temporibus somnus convenienter eat.
 Vive DEO, Regi, Patriæ, Civiq; Mihiq;
 fructifera plures utilitate bea.
 Sicq; tuum nomen sublime feremus ad astra,
 et memores erimus sortis ubiq; tuæ.
 Nunc placido requiem quærentibus annue vultu,
 et sine tutelæ nos opus esse tuæ.
 Hoc ubi contingit, satis est; vos ardua regum
 limina solliciti plena valete metus.

ἀλεξαρδίας posuit

M. Martinus Böhm / P. P.

Ostendunt vultus festivos Martis alumni,
 Dum Macedum Regis vivida membra vident:
 Nam quamvis mentemq; calor corpusq; relinquat,
 Dux tamen Æmathiæ debilitate caret.
 Exclamant Socii, mœrorem tradite ventis,
 Fortis Alexander, Gloria nostra, viget.
 Nonne ego concipiam, Mœcenas, debita mente
 Gaudia, dum radix nostraq; fibra viret.
 Cœperat insolitus decerpere corpore vires,
 Atq; oculos morbus sollicitare tuos:
 Attamen hos prorsus convellere nesciit, illi
 Dextera dum summi restitit alma DEI.
 Nonne igitur læto celebrent nova gaudia plausu
 Certatim Cives, Curia, Templâ, Scholæ?
O venerande Senex! perge exsplendescere votis
 Nunc Patriæ, & Pylios vince, PATRONE, dies.
 Musarum facilis quoq; dextris annue cœptis,
 Præsidium nobis perpetuumq; Decus.

Devotissimè applaudens scribebat

M. Godofredus Weissius, Gymn.
 Thor, Prof. Extraord.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠